

TV, 101 .

2,15.



9

D. O. M. A.

Plurimum Reverendo & Clarissimo

V I R O

D. N. JACOBO FELDTNERO,

Ecclesiastæ Thorunensi Vigilantissimo,

Lectissimam Pudicissimamq; Virginem

ANNAM CATHARINAM

V I R I

Prudentissimi & Spectatissimi

DN. CHRISTOPHORI FRANCKEN-

BERGERI, Reipublicæ Witebergensis Senatoris

Laudatissimi & Meritissimi

Filiam Dilectissimam

Mens. Octob. Anno 1661.

Domum ducturo

Veterum illud FELICITER

acclamant

Præceptores, Fautores & Amici

Wittebergenses.

Excudebat Johannes Haken.

10



a & ω

Ingredere in thalamum Jovâ comitante, secundus
Hujus in invicto nomine, gressus erit.
Namq; cui, Feltnere, toro comes ipse JEHOVA,
Ille premi, perimi non tamen ille potest.
Hoc duce si duces sponsam, quàm tutius ibis,
quin capies capto præmia digna toro.

Johannes Meißnerus D. &
Prof. Publ.

Laudatur solum sine compare vivere, fidam
Qui sociam reperit, repperit ille bonum.
Quàm Sponse es felix, & quàm tu Sponsa beata,
Vos verò jungens Christus amore beet.

Johannes Andreas Quenstedt
SS. Theol. D. & Prof. Publ.

Expectata dies venit gratissima Sponso
FELDNERO Affini nostro Claro Reverendo,
ANNULA quâ CATHARINA ejus pulcerrima Virgo
Jungitur in lecto nulli virtute secunda.
Vivite felices atq; exhilarate Parentes
Sæpius, ut nati natarum sufficienti
Et neptes numero veniant, quò gloria Christi
Crescat, & in cælo non desit turba piorum

Reinholdus Franckenberger Hist.
PP. & Academiae Senior

Ad Virum

Reverendum Clarissimumq;

DN. JACOBUM FELTNERUM,
Ecclesiasten Thorunensem, amicum meum certissimum,
cum ANNA CATHARINA Franckenbergerâ
nuptias celebrantem.

Nunc

Nunc iterum thalamus sancitur foedere caustis
 Et subeunt socium foemina virq; thorum,
 Dicite, si vobis superant nova carmina, Musæ,
 Paucaq; purpureo disticha ferte thoro.
FELDTNERO ô lucem centeno nomine faustam,
 Quâ perflant tepidæ pectora bina faces!
FELDTNERE, ecce tibi nunc deserit Hesperus Oetam;
 Frigidaq; Eoo decidit umbra polo.
 Digna tuo, **JACOBE**, venit jam foedere sponsa,
 Insignis peperit quam Witeberga tibi.
 O digno conjuncta viro, conjuncta marito,
 Cujus ab ingenio munera mille fluunt!
 Cujus inest animo divini cultus honoris;
 Et cui præcipuè munia diva placent.
 Intendens animum studiis rebusq; sacratiss,
 Nil nisi quod rectum cum pietate colit.
 Insuper est lingvis Grajà Latiâq; politus,
 Quæis sine vera fides religioq; labant.
 Hæc de te, **FELDTNERE**, loquor, quia cuncta videbam,
 Urbis cum nostræ pars benè fida fores.
 Nunc quoq; non audit solùm pietatis amator;
 Sed docet & veræ nosse salutis iter.
 Munere quo nullum toto pretiosius orbe est;
 Nec mundi patuli machina majus habet.
 Huic curæ est pietas, non æris acervus & auri:
 Huic studia & mores cum pietate placent.
 Ut pictura juvat lippum, fomenta podagram;
 Sic illum censûs divitioreis opes.
 O te felici pro natam sidere sponsam,
 Cui datur eximio conjuge posse frui!
 Dilige nupta pium & doctum, **CATHARINA**, maritum,
 Milleq; dilecto basia fige viro.
 Tu quoq; sponse, decus pietatis & utilis autor,
 Consortem thalami semper amore fove.
 Dilige, quam pepigit lecto Deus ille jugali,
 Quam voluit sociam pectoris esse tui.

Ulla micat tantis animo redimita corollis:
Virginei quantis pallia trita chori.
Vivite concordi felices pignore lecti,
Et multâ vestram prole beate domum:
Quàm benè conveniunt, thalami qui fœdere casti
Junguntur socio, nec prohibente Deo!
u Caucasus hunc duris genuit de cautibus horrens:
Quæq; dedit nutrix ubera, Tigris erat:
Qvi prohibet thalamos misceri & fœdera jungi:
Nec patitur tædam pignoris esse ratam.
At vos felices, vos terq; quaterq; beatos,
u Queis datûr optato jure thoroque frui!
Sic Deus afflabit dextro spiramine nexum,
Proteget & puri jura sacrata thori.
Ac tandem vitæ cursu feliciter acto,
Cœlestis tribuet regna habitata plagæ.

*Michael Wendelerus, S.S. Theo-
logia D. ejusdemq; P. P. Extraordina-
rius, & Phil. Moralis Ordinarius*

Feldtnerus thalamos init & Catharina jugales:
CHRISTE, fave tædis & pater alme, piis.
Tuque faces affla, spirabile numen, amoris,
In quas nil Boreas, nil fera possit hyems.
Quod fuit Isacidæ nupta utraque nata Labanis,
Anna in Feldtnerum sit Catharina suum.

*Christianus Trentschius,
P.P.*

FELDTNERE, mens perdocta, Numinis Tui
Reverentior, charissimâ mihi & omnibus
Doctis: Vacasti Sanctioribus hætenus
Curis bonisq; literis laudabili
Magnâq; diligentia, unde Patria
Tua singularia dona sibi jure optime

Expe-

*Expetiit, & carpit beata maxime
Munera Tuae Eruditionis optima.
Nunc te trahit lumen Modestae Virginis
Pieque, quae rapuit Amorem dotibus
Suis tuum, Tuisque perquam sancta
Tota ardet & te mente sequitur concita
Totâ, cupitque nil quam ali ignibus tuis.
Ambo beati, SPONSE, tali conjuge,
Taliq̄, SPONSA juncta Feldtnero, Viro.
Facies pijs miscete, Vestra incendia
Novare possunt sola Feldtneri domum.*

Quod gratulab. deproper.

Constantinus Ziegra /

S.S.Th.Lic. P. P.

Dum pia Vota Toro FELDTNERI prospera quævis
Accelerent, eadem me cumulare juvet!
Sed brevibus quô multa feram: Connubia Numen
Cœlitus omnigena prosperitate beet!

Ægidius Strauch /

S.S. Theol. Licent. &

Mathem. inf. P. P.

PRUSSIA Sponse TIBI Sacrum commendat Ovile:
Atque Tori Sociam, nunc WITEBERGA dabit.
Sic Deus, in Thalamo clemens, & munere præstò est,
Gratiæ & illius, Candida signa vides.

†
Nach dem DZR PREUSSEN hat / den Altar an-
bertrauet/
So gibt DZR WITTEMBERG ein Schweiß
an die Handt:

Hiraus

Hieraus des Höchsten Gunst/ein ieder klärlich schattet /
Und wünschet freudig glück/ Glück zu dem neu-
en Standt.

In

Honorem, Amorem, Morem,
Congratulab.

fecit,

M. Casparus Schmitz.

Ecclesiae Wittebergenf.
Diaconus.

Ge segnet sey diß Werck auß Gottes Rath entsprungen /
Was wil entgegen seyn der falschen Neider Zungen?
Das Creuß / der rauhe Wind / die trübsal und gefahr/
Muß allzeit ferne sein von diesem Neuen Paar.

Dieses schrieb wohlmeinend

A. Andreas Müller /

Prediger in Wittenberg.

Multa hominum genus omne premunt incommoda, soli
Si vivant : Clarè id Pagina sacra docet.
Optimus atq; ipsum hoc Præceptor comprobat, Usus,
Dum socium prudens quærere gaudet homo.
Hinc tua de thalamis ac gratâ conjuge cura,
VIR REVERENDE, minus laude carere potest.
Nosti etenim solum degentem vivere vitam
Talem, quæ potius mors vocitanda fiet.
Obscurè siquidem viventi vita sepulchrum est,
Interit & generis sic sine prole decus.
Chara proinde tuam Conjux Vir Clare juvabit
Vitam, curarum dulce levamen erit.
Gaudebis sociâ; cum terque quaterque beato
Commoda multa ferat, tristia cuncta levet.

M. Samuel Hentschel,

Facult. Philos. Adjunctus.

Sic

Sic tandem Pietas Tua, sic Tua cura laborq;
 Accepit Studiis premia digna suis.
Patria dat vitam, Tua dat Witeberga sciendi
 Munera; Sic certant Leucoris & Patria!
Patria dat porrò Tibi Munia sancta docendi,
 Sed quoque nunc Sponsam dat Witeberga Tibi.
O Te, mi Feldtner, felicem, terq; beatum
 Qui Pastor, Sponsus, sic simul esse potest!
Et cum sim Witeberga qua Tibi Munera defert,
 Nunc quoq; dona Tibi, sed modò vota, fero.
Prosperet, Officium Cæli Terræq; Monarcha,
 Concedat Thalamos fata secunda DEUS!
Et quacunq; Tibi, Fautor Reverende, precaris,
 Hæc Tibi, cum Sponsâ, corde calente precor.

M. Georgius V Wagnerus,
Radebergâ Misn:

Dulcitur in Thalamum, Neonymphe colende, recentem
 Culta puella animo, corpore culta benè,
Quam pietas ditat, castus pudor & charis ornat
 Nubere qua potuit vix magis atq; tibi?
Conjugium ergo Tuum felicitet ipse Jehova
 Et tecum Sponsâ Sospitet usq; precor!

Christianus Ernestus Grünband
Prentzloâ Marchicus.

Præsens cum nequeam vestras invisere tædas,
 Suscipite absentis vota precesq; rogo:
Vivite felices, felices crescite, crescat
 Vester honos, crescat sanguinis ordo novus.
Vivite concordēs unâ, nec tristis Erinny
 Disturbet socium dente minace torum.
Vivite Nestoreos annos & nexus amoris
 Nullo rumpatur tempore, corde precor.
Annue supremum Numen, votisq; precantis
 Atq; piis precibus pondus inesse finas!
Jacobus Kozlovysky Strasburgo Borussus
Ad

*Ad plurimū Reverendum Dominum Sponsū,
Fautorem ac Amicum Singulariter
colendum*

Hic, ubi lauriferis exsurgunt culmina jugis
Aoniæ Sedis, quam spumans alluit Albis
Hic *Feldtnere* decus Charitum diæve Cathedræ
Pierides quondam Musæ Tua Labra rigarunt
Nectareis gelidæ, guttis Aganippidos undæ
Hic quoq; connubii sociali fœdere Nympham
Leucorei junxit cœtus tibi pronuba Juno
Jamq; tuos initura Toros hinc Florida Virgo
Pergit, juncta choro Charitum, quæ splendida Triga
Virginei Divis sexûs sociata perennat
Cinctaq; virtutum Cestu roseoq; venusta
Flore pudicitia nitidis formosior annis
Blanda verecundos decorat cui Gratia vultus
Ingenuoq; rubent Pæstans æmula semper
Ora rosis, placidè flectens dum lumina terræ
Advertit, rutilisq; tibi dum ludit ocellis.
Hanc Tibi Consortem Thalami Sociamq; laborum
Dum jungis, jamjamq; paras Hymenejia Festa
Munera, Vota fero devoto pectore fusa,
Ut tecum placidæ Tithonia stamina vitæ
Absolvat Thalami sociata ligamine Conjux.
Ac ut Salvifici Spargens dum semina Verbi
Arva *Chori* Subigis pariter *FELDTNERE* rescindas
Arva Tori; patriâ, parili quò germine grata
In terrâ nunquam periturâ fronde virescant.

*Hec cum voto devoto
Omnigenæ prosperitatis
deproperabat*

Ernestus Kömer /
L. L. Stud.



Ed 198

ULB Halle 3
002 040 255




Sb

UD 17

mit





D. O.
Plurimum Rever
 V
D. N. JACOBO
Ecclesiastæ Thoru
Lectissimam Puda
ANNAM CA
 V
Prudentissim
DN. CHRISTOPH
BERGERI, Reipublic
Laudatissim
Filiam I
Mens. Octob
Domt
Veterum il
 acc
 Præceptores,
 Witte
 Excudebat

